

Huttier, Joseph - candidat / Auvity, Jean-Abraham - président. - De peculiari aphtarum specie, gallicè Millet, Muguet, Blanchet, in recens natis

1789.

Paris : Ex-Typis Clousier, Regis et Regii Chirurgiae Collegii, Typographi, viâ Sorbonae, Cote : ms 2346, n°31

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA.
D E
PECULIARI APHTARUM SPECIE,
G A L L I C È
MILLET, MUGUET, BLANCHET,
IN RECENS NATIS.
*Die Martis vigesimâ mensis Octobris, anno 1789, à sesqui-
secundâ post meridiem ad septimam,*
PROPUGNANDA.
P A R I S I I S ,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
P R O A C T U P U B L I C O ,
E T M A G I S T E R I I L A U R E A .



Ex Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Sorbonæ.

M. DCC. LXXXIX.



DISSERTATIO
 ANATOMICO-CHIRURGICA
 DE
 PECULIARI APHTARUM SPECIE,
 GALLICÆ
 MILLET, MUGUET, BLANCHET,
 IN RECENS NATIS.
 Disposita a Johanne Oudin, anno 1789, à Jussieu
 secundo post mortem ad Jussieu,
 PROPOUNDATA
 PARISIIS,
 IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,
 PRO ACTU PUBLICO,
 ET MAGISTERII LAUREA.



IN Typographia Regis & Regii Chirurgie Collegii
 Typographi, vii Solenne.

M. DCC. LXXXIX.



DISSERTATIO

ANATOMICO-CHIRURGICA.

Vix vinculis uterinis solutus, auras vitales hausit Fœtus, innumeris obnoxius fit malis, quæ pro diversâ organorum tenuitate, variisve quibus destinantur officiorum momentis, plus vel minus ingravescunt. Partes inter, quæ ad præstantissimum naturæ opus efformandum conspirant, nullæ sunt undè frequentior vel periculosior morborum cohors incumbat, quàm inservientibus masticationi, deglutitioni, digestioni organis, quæ malè afficit aphtarum species peculiaris, gallicè *Millet*, *Muguet*, *Blanchet*, vocata. In nostris regionibus haud infrequens, omnem oris superficiem occupans, nulli parti; nec labiis, gingivis, linguæ, palato, œsophago, ne quidem ventriculo, ipsisque intestinis parcit. De tam gravi morbo

A

acturi, partium structuram, quantum ad nostrum propositum pertinet, prius anatomicè considerandam censemus.

EX ANATOMIA.

LABRA vel labia; unum superius, alterum inferius, rimâ intermediâ dissociantur, quæ os audit. Musculis plurimis constant qui cuti adeò miscentur ut fibræ decussatim coeant, undè diversi fiunt labiorum motus. Extùs tegumentis communibus, intùs membranâ oris teguntur, sub quâ glandulæ miliares & lenticulares plurimæ. In anatomicâ prolaborum administratione, si epidermide denudentur, post macerationem in aquam, conspicuæ fiunt papillæ nerveæ multiplices, undè illorum exquisita sensibilitas. Superius labrum sub septo nasi, inferius ad radices dentium incisorum peculiari ligamento donatur, quod frænulum vocant. Purpureus labiorum splendor, pulchritudinis & sanitatis nota, vasis sanguineis has partes irrorantibus, debetur.

GINGIVÆ, periostio utriusque ossis maxillaris firmissimè adherent, eorum faciem internam & externam regentes eâ parte semicircularis circumferentiæ prominentis, quæ dentium seriem continet. Ob ruborem carneæ à priscis habebantur, sed earum structurâ accuratiùs investigatâ, præbent substantiam ex textûs cellularis lamellis juxtâ se positis, propè dentes firmiorem, membranâ tenui tectam, quæ epidermidis continuatio est, cuticulâ simili illi, imò eâdem quâ lingua partesque oris internæ operiuntur.

3

VASIS sanguineis copiosissimis instructæ sunt gingivæ , hinc adeò rubent ; & glandulis numerosis. De gingivarum usu controvertitur. Etiam à neotericis recentioribus , firmandis dentibus inservire dicuntur , quòd iis circumjectæ , mobiles fiant ab earum flacciditate morbosâ. Contrariam sententiam huic opposuit celeberr. Professor Gissenfis, *Mich. Bernard. Valentinus* (1) inquit : » usum gingivarum quod spectat , aliàs is habetur , ut dentium ordinem obsepiat , atque oppletis eorum intervallis , vacillaturam eorum compagem firmet. Nos autem cum pace tantorum virorum hæc vix admitti posse existimamus ; non enim credibile mollissimam carnem durissimis dentibus firmitudinem præstare posse , qui alveolis suis , eâ etiam sublatâ , firmissimè inhaerent ; vel integrâ etiam gingivâ , si quid præter naturam ipsis accadat , deprehenduntur vacillare «. Porro , & est ejusdem Professoris observatio , utcunquè arctè adhæreat dentibus gingiva , nihilominus vel unguibus vel spatulâ obtusâ , non difficulter ab iisdem separatur , quod periti ante extractionem facere solent , (vulgò *déchauffer*) ; non secus ac cutis extremum , radicem seu lunulam unguum ambiens , facîle secernitur ab iis qui exuvias digitorum præcavere volunt. A parte clar. *Valentini* statimus.

LINGUA , à *Lingendo* dicta , nobilissimum corporis organum , animæque optimus interpret , in ore sub palato continetur. Aliquo modo pyramidalis est & plana , hujus pars anterior

(1) IN Nosocomio academico , Chirurgiæ medicæ affixo : anno 1714.

mobiliior & acuta; apex; posterior vero crassior & lata, basis seu radix vocatur. Superiùs lineâ longitudinali medianâ, lingua æqualiter bipartitur. Cum osse hyoïde, maxillâ inferiori, processu styloïde, pharynge & larynge, aliisque partibus vicinis, musculis, ligamentis & membranis connectitur: inferiùsque medio in ejus corpore, ligamento valido firmatur, cujus extremitas sub apice linguæ, frænulum dicitur.

PECULIARIS est linguæ fabrica qualis nulla alia, potissimum & musculis, nervis, involucris, membranis, pinguedine, ut & glandulis ac vasis notabilibus, constans. Variorum musculorum ope & pro variâ eorum contractione lingua contrahitur, expanditur, protrahitur, retrahitur, & in omnem sensum, sursum, deorsum, antrorsum, & in latera dextrorsum, sinistrorsumque movetur.

VASA copiosissima linguæ substantiam perreptant, arteriæ à carotidibus externis ortæ, sanguinem advehunt; venæ ad ramos jugularium externarum adeunt: sub apice linguæ conspicuæ venæ, raninæ dicuntur. Duobus nervorum ramis à quinto pari, linguæ sensus exquisitissimus; à pari nono mutuati, linguæ motui inservire dicuntur: *Boerhaavius* contrà, hos gustui, illos motui famulari sentit. Vasis etiam lymphaticis instruitur lingua, plurimisque glandulis, quibus à situ insunt nomina.

TRIBUS membranis cingitur lingua; extima continua cum membranâ oris communi, vaginulas efformat quasi pyramidales & globosas, porosas, pro papillis nerveis tertiæ mem-

5
brana suscipiendis. Secunda seu media reticularis *Malpighi* dicitur, ex eleganti rete constat, papillas nerveas per foraminula sua transmittens. Tertia, papillaris & nervea audit.

PALATUM, superior oris pars, instar tholi leviter concavum, membranâ oris communi tegitur, cui verò adhuc glandulæ copiosissimæ accedunt, liquidum mucosum pro faucibus lubricandis & deglutitione facilitandâ, per oscula quàm plurima excernentes.

ŒSOPHAGUS canalis membraneo-musculosus à faucibus ad ventriculum extensus, in collo ferè post tracheam juxta longitudinem vertebrarum situs, in thorace tamen parùm ad dextram, sinistram mox partem inflectitur. Quatuor membranis constat, primâ exteriori cum pleurâ continuatâ; secundâ musculosâ ex duplici strato, fibris scilicet longitudinalibus & annularibus; tertiâ nerveâ in varias lamellas adhuc dividuâ vasculis glandulisque instructâ; quartâ villosâ seu papillofâ, humore obductâ lubricante.

CANALEM ab ore ad anum extensum, constituunt ventriculus & intestina.

VENTRICULUS faccus est membraneo-musculosus, amplius, in epigastrio, usque ad sinistrum hypochondrium sub diaphragmate, oblique quasi transversum, hepar inter & lienem situs. Huic duo sunt orificia: superius cardia, inferius pylorus dicta. Tunicis conflatur quatuor, primâ extimâ à peritonæo, secundâ

musculosa, vario & quasi inextricabili fibrarum ordine formatâ, quarum aliæ quasi circulares à parte superiori ad inferiorem descendunt, aliæ à sinistro latere ad dextrum obliquè excurrunt, quædam tandem orificia ambiunt. Tertia nervea multis vasis sanguiferis & glandulis instructa, rugas constituit; quarta villosa, tenuis, porosa, cellulas rugasque efformans cum præcedenti, cui arctè adhæret.

ARTERIÆ gastricæ à celiacâ ortæ, ventriculo sanguinem suppeditant, quem venæ gastricæ ad venam portæ revehunt: nervi admodum insignes ab octavo pari oriuntur; vasa lymphatica ad receptaculum chyli abeunt.

INTESTINA in tenuia & crassa dividuntur, quatuor tunicis non secus ac ventriculus formantur: prima membranacea est & à peritoneo mediatè, sed immediatè à mesenterio originem ducit; musculosa secunda duplici fibrarum longitudinalium nempe & annularium ordine constat, quæ pro diversâ actione, motui intestinorum inserviunt. Tertia nervea dicitur, glandulis nec non vasculis copiosis & textu cellulari densiori instructa, prioribus magis extensa, undè rugæ & valvulæ. Quarta tandem villosa, fines sanguiferorum & principia lacteorum sustinet, undè accurato examine cribri instar se offert.

VASIS copiosissimis donantur intestina: arteriæ mesaraicæ præsertim, quarum superior tenuibus intestinis, inferior crassis sanguinem advehunt. Venæ eandem ferè viam sequentes ad truncum venæ portæ & hepar adeunt: nervi deniquè intercostalis soboles, licet tenuis, magnam sensibilitatem confert.

VASA lactea, lymphatica etiam habent intestina, non nullæque iis sunt glandulæ, diversis nominibus donatæ.

EX CHIRURGIA.

APHтарUM species, de quâ agimus, in puerulis longè differt ab eâ quâ persæpè adulti & ætate provectiores afficiuntur: eodem aphtarum nomine vocatæ & ab omnibus ferè Priscis, nullo discrimine habito, descriptæ, undè nulla accurata morbi diversi definitio. Aphorismo vigesimo-quarto tertiæ sectionis, multisque aliis locis, *Hippocrates*, inter morbos primæ ætatis infantum proprios aphtas numerat; quas quidem superficialia oris ulcera, maligna & serpentia, igneâ quâdam caliditate prædita vocat; quæ recens natis, tenellisque accidunt. In puerulis modò in lucem editis, aphtæ fiunt, ait *Galenus*. Ex *Francisco Sylvio*, haud infrequens infantibus affectus aphtæ, ulcuscula nempe totam oris superficiem occupare solita, ita ut nulli parti parcant, non linguæ, non palato, non gingivis, non labiis, non genis, non faucibus, ne quidem ipsi œsophago, ipsique ventriculo, quantum saltem maximè probabile. Eadem ferè leguntur apud *Aetium*, *Aræteum*, *Paulum Æginetam*, *Amatum Lusitanum*, *Forestum*, *Sennertum*, *Ettmulerum*, *Wedelium*, & alios.

His variis auctorum definitionibus non assentimur, nam aphtæ recens natorum, malè sub ulcusculorum nomine veniunt; non enim vero pure, sed serosâ potius colluvie scatent. In tuberculorum, pustularum, aut vesicularum censum redi-

gendas esse, non in ulcerum, fides oculorum evincit : undè accuratior sit sequens definitio.

RECENS natorum aphthæ, tumores sunt albicantes, superficialii, rotundi, diametri exiguæ, milii aut cannabis semen magnitudine vix excedentes, seroso quodam liquore referti, in squammas abeuntes, & acriter doloriferæ.

SUPERFICIARIÆ pustulæ, frequentissimè primò in labiis aut gingivis emergentes, postea in omni superficie internâ oris erumpunt, linguam, palatum occupant, ulteriùsque pergentes fauces & œsophagum inficiunt, demùmque in ventriculo & intestinis progrediuntur : variis in his locis crustas efformant densas subjacentibus partibus adhærentes. In sectionibus cadaverum, has crustas in ventriculo & intestinis multoties observavit hujus Disceptionis Præses.

HARUMCE pustularum distinctio, ut & variolarum, est in benignas seu discretas & malignas aut confluentes : à mali progressu tertia constituitur species, in quâ partes gangrænâ brevi corripuntur.

INCERTUM est à nativitate infantis tempus invasionis, nunc citior, nunc tardior, sed persæpè paucis diebus à natalibus ingruit.

QUÆDAM sunt morbi futuri signa prævia. Subitò insomniis vexantur pueruli, diu noctuque ejulantes, contabescit totius corporis habitus, flaccescit cutis, pallet facies, motus interdum convulsivi

convulsivi adsunt, vomitus & ructus acidum redolentes, tormina oriuntur, & diarrhæa continua, materiæ aquosæ & viridis, odorem acidum & fætidum spargentis.

DEIN os infantis inflammatur, lingua aspera fit & veluti aculeata: papillâ mammæ immissâ, nutrices ardorem oris infantis mordentem sentiunt. Tunc hinc & illinc elevatur cuticula, suboriuntur tumores albicantes, inæquales, in veras vesiculas abeuntes, in labiorum angulis incipientes, mox per gingivas, linguam, palatum, totamque oris internam partem serpentes.

In hoc statu nutricis mammas respuit infans, siti miserè excrucietur, lacti sugendo impar: diarrhæa superest & sæpè ab excrementorum acrimoniâ, pustulæ circâ anum aphtis simillimæ. Non semel clar. actûs Præses, mammas nutricum pustulis ejusdem speciei affectas observavit.

VESICULÆ albæ, amplæ, superficiariæ, quarum interstitia nec rubescunt nec inflammantur, discretam earum indolem, benignumque morbum statuunt. Si verò pustulæ sint exiguæ depressæ, tenaces, ita multiplicatæ ut ferè coeant, flavo colore tinctæ, confluentem eruptionem, malignumque malum indicant: pessimæ omnium habentur cinereæ, lividæ, atro-purpureæ, ita inter se junctæ ut unicam crustam constituere videantur: gangrenæ imminenti signa.

HÆC pustularum malignarum species rara est: non nisi in nosocomiorum diversoriis ubi majori numero pueruli conge-

runtur; quæ maligni morbi species, in parisiensi, vulgò *les Enfans-Trouvés*, olim endemicè grassabatur.

De pustularum judicatione certi quidquam haud statui potest: intra quinque vel sex dies nonnunquam exsiccantur, & decidunt crustæ, si levis sit causa morbi; aliquando usque ad duodecimum diem firmissimè adhærent; sæpè etiam deciduis illicò crustis, novæ renascuntur densiores: tunc non nisi intra duas vel tres hebdomadas terminantur.

PUSTULARUM prognosis desumitur ab earum specie, colore ac multiplicitate: albæ, solitariae & discretæ huc & illuc in labiis, linguâ & internâ oris parte sparsum tantum eruptæ, non periculosa, brevi facilèque curantur: longè periculosiores confluentes, flavo colore tinctæ, imas usque fauces denso agmine, & ulteriùs œsophagum, ventriculum & intestina obsidentes. Cinereæ, lividæ, atro-purpureæ ita coeuntes ut unicam crustam constituent, instar recentis lardi, subjacentibus partibus adhærentes, lethales sunt.

SALUS omninò speranda, ubi decisis crustulis, nulla amplior sequitur eruptio, & humidè irroratis partibus, decrescit morbus: majus autem periculum, si tardè exsiccentur, deciduisque ipsis, aliæ æquè densæ ut priores renascantur & sicca exasperatæque sint partes.

SIGNA pustularum eruptionem præcedentia, & socia symptomata, mali fomitem in primis viis quærendum esse, satis superque testantur. Hinc impura quæcumque colluvies in recens

natorum primis viis, proxima mali causa, à retento in intestinis meconio præcipuè oriunda. Ab eâ enim fæce fuscâ, tenaci, diùque retentâ, lac nutricis vitiosè coagulatur, hinc acidum in ventriculo redundans, cujus halitus plus minùsve acer, sursum exhalans, molles & teneras oris partes inficit & lædit. Ventris tormina, aquosior diarrhœa, fæcum color viridis, cœteraque alia symptomata, ex ipso acido præpollenti intestina vellicante, repetenda sunt.

NATURA provida in matrum mammis *colostrum* secernit, quod insitâ virtute meconium diluit & educit. Hinc infantes proprio matris lacte nutriti, pustulis aphtosis ferè semper immunes, dum qui alieno lacte utuntur, iis frequentissimè laborent; præsertim in nosocomiis ubi misera vetitæ libidinis progenies hospitatur. Ibi deficiente *coloastro*, seu primario lacte, neglectâque meconii medicâ purgatione, adeò frequens est morbus.

DE variis causis generationis colluviei cujuscumque in ventriculo & intestinis, dicere longiùs foret, unicam tantum referre liceat, ut potè haud rariorem: fit ex intempestivâ & perversâ methodo, quâ nutrices ut plurimum lac præbent infantibus quoties vagitant: verum enim verò rarissimo casu, fame vexantur quandò vagitus edunt infantes, sed plerùmque fæcibus alvinis aut urinâ madefacti, vel intestinorum torminibus correpti sunt. Tantâ itaque nutrimenti copiâ obrutus ventriculus, illud ritè concoquendi haud poller robore: hinc lactis indigestio & aciditas.

In ipso lacte sæpè sæpiùs morbi fons uberrimus. Etenim

si nutrix vino, aut poculis spirituosus sit dedita, si mariti amplexus intempestivos, durante lactatione, lascivior admittat, lac ejus repente corrumpitur, coalescit, acrior fit, & infantis illud fugientis genas, fauces, linguam &c. inficit: hincque & illinc ipsius acritudine pustulae efflorescunt: non minus acriter in ventriculo saevit. Quantum igitur discrimen à nutricibus soli mercedi inhiantibus, minus sobriis, immundis, protervis, aut morum turpitudine coinquinatis? Quam in lubrico exponitur proles innocuae salus.

PERVERSUS quarundam nutricum usus, infantibus somnum pariendi in mammis, etiam saepe fit mali causa. Lac enim in ore stagnans, acrimoniâ donatur, totam internam oris membranam erodit; & ab immunditie & acritudine gignuntur pustulae.

ALTERA tandem morbi causa ex pulte, quâ lactis copiâ orbî, aut à nutricis uberibus omninò depulsi, saepius nutriuntur. Cibus enim crassior ex farinâ praesertim triticeâ crudâ & lacte paratus, mediae inter solidam & liquidam consistentiae, etsi ad hanc propius accedat, nec quidem forbilis, in ventriculo ingestus debiliori, ritè concoqui nequit, corrumpitur, ac in pastam glutinosam, acidamque vertitur. Hinc aciditas & acritudo, proxima accidentium quae morbum comitantur, causa.

NIMIAE excretiones, humores acres retenti, infantis corporis inertia & desidia, imminuta perspiratio, immundities, habitatio in humidis aut in aëre corrupto, totidem sunt causae, morbi indolem, ipsiusque accidentia ingravescentes.

Ad præcavendam aphtarum in recens natis eruptionem, earum sedulo removendæ sunt causæ. In hoc fine impura quæcumque colluvies in ventriculo & intestinis promptè subducenda; opportuno tempore eliminandum meconium. Præbeatur lac nutricis recens enixæ, (si deficiat mater) quod ad naturam parentis proximè accedat. Viretur iterata in abdomine colluvies, cavendo ne intempestivo tempore lac ducant infantes, aut ad mammas obdormiscant: si vitio quodam lactis nutricum laborent, studiosè inquiratur, quænam sit illarum vitæ ratio: si labe aliquâ inquinatæ sint, exulent. Puls quæ puerulis offertur lactis loco, teneræ ipsorum naturæ sit accommodata; farinæ crudæ substituatur panis, coctione ad consistentiam pulvis redactus; frequenter id alimenti renovetur, ne in fermentationem abeat. Procul sit immundities, linteamina sæpè commutentur, & frequentissimè infantes abluantur. Os eorum aliquoties de die colluatur: lotio ex aquâ frigidâ sæpius repetitâ optimè conducit. Aëri circà infantem liber pateat accessus, vaporesque male olentes suffimentis aromaticis corrigantur.

His præsiidiis si præcaveri nequeat morbi eruptio, ipsaque jam jam irruerit, media curatoria promptissimè adhibeantur, intra paucas enim horas ferociter sævit malum. Pharmaca illud debellatura, vel interna vel externa sunt, utrisque sæpè sæpius utendum; varia seligantur pro variâ eruptionis causâ, nec non illius indole.

Si à neglectâ meconii evacuatione veniat morbus, blando cathartico illud ejiciatur, nempè syrupo è chicoreo cum rheo,

vel etiam solo lactis sero, cui paululum mellis additur. Hoc medium in recens natis antepponendum, quod ad naturam *colostri* proprius accedat. Si ab impurâ quâcunque colluvie primas vias inficiente oriatur morbus, vomitoria, præ cæteris aliis mediis, præcipuè si morbi fomes adhuc in ventriculo lateat, cientur; morbi causam citius tollunt, ventriculum simul & alvum exonerant. Inter varia iemera infantibus congrua, vinum antimoniatum à clar. *Armstrong* maximè commendatur. Interdum purgantia lenia sive lubricantia, infan-
 rum teneræ ætati accommodata, curationem absolunt, modò tempore opportuno adhibeantur; ast non nisi summâ cautione sunt tentanda, si urgeat diarrhæa, aut faciant acrimoniâ erodantur partes: præstat potius enematis uti ex decocto mu-
 eilaginoso paratis. Interdum lac nutricis recens enixa ducat infans & subministretur nutrici potus copiosus, blandus, materiei acrimoniâ demulcens, cibo utatur tenui, viter falsa & acra.

Si nutrice orbetur infans, frequenter & copiosè ei detur potus attenuans, demulcens, farinosus, saponæus: huic scopo inserviunt potus omnes calidi, decoctum avenæ excorticatæ, hordei, succus raparum expressus saccharo edulcoratus, infusio
 feminum lini cum melle simplici vel rosaceo, ut saponi consu-
 latur.

Si acidum aut à pravâ lactis qualitate, vel ab indigestâ pulte aut à nimia ventriculi debilitate productum, in primis viis præpolleat, eadem, ut dictum fuit, sunt adhibenda;

quibus jungere juvat absorbentia, acidum compescere valentia, inter quæ maximè laudatur magnesia.

INTEREA remediis externis, ut citiùs secedant pustularum crustæ, sub linimenti formâ, utendum; nam gargarisationis incapaces recens nati, quippè cum quidquid eis propinatur, statim deglutiant. Itaque linimenta ex materiâ innocuâ conficienda sunt, ut tutiùs in ore ingerantur. Diversa sint pro variâ eruptionis indole: si discreta & benigna, os internum infantis, solâ aquâ communi tepidâ in quâ sacchari frustulum solutum fuerit, aut infuso salviæ vel florum sambuci cum melle, eluere sufficit.

His mediis egregiè exsiccantur pustulæ, brevique decidunt crustæ: in hoc casu maximè etiam laudatur raparum in aquâ coctarum succus expressus, cui subindè aliquid sacchari additur, quo ter quaterve singulis diebus loca aphtosa illiniuntur: eum haurire possunt infantes, tuncque os non tantum, partesque in ore contentæ, sed etiam œsophagus & ventriculus, quos non minùs pustulis affici diximus quam oris partes, ipsius beneficio fruuntur.

Si confluentis & maligna sit eruptio, frequentiùs os infantis eluatur; pustulæ illiniri debent linimento cui detergendi sit virtus: in hunc finem optimè conducunt infusa plantaginis; agrimonix cum melle rosarum, levis solutio vitrioli albi, vel etiam spiritus vitrioli cum melle rosarum ad gratam aciditatem

usque temperatus. Sic etiam utiliter adhiberi possunt fomenta circa collum.

Si verò tota oris & œsophagi interna superficies ita pustulis obsita sit, ut impediatur deglutitio; præter allata media, enemata, balnea tepida, omnisque generis fomenta auxilio sint: nec negligendus vesicatorii, pro re natâ, usus.

BATAVÆ feminæ & obstetrices, rubetam filo alligatam ori infantum, hâc pustularum eruptione correptorum imponunt, extractam in aquam frigidam injiciunt, ut vires recolligar; tùm iterùm imponunt: sed contingit sæpiùs, ut imbibito veneno rubeta rumpatur, istâque rubetæ novæ impositione sæpiùs reiteratâ, infantes curentur, & flammantes pustulæ evanescant.

Si verò livefcent pustulæ, si putredinis & gangrænæ metus jam jam immineat, eluendum est os infantis frequentissimè decocto corticis peruviani, vel infuso rutæ, serpentariæ, salviæ, scordii, cum melle rosarum.


EXSICCATIS tandem crustis, & deciduis, crudæ & excoriatæ partes adedò sensiles sunt, ut potus tenuissimus, dirissimos dolores provocet: optimè dolorem leniet solutio gummi arabici, aut ovi vitellum conquassatum & additâ aquâ rofaceâ dilutum.

MINUTO dolore, adstringentibus vasa nimis dilatata sensim compescentibus, curatio absolvatur.

H A N C

*HANC Dissertationem, Deo juvante, & preside M. JOANNE-
ABRAHAM AUVITY, Artium & Chirurgiæ Magistro, nec
non Nosocomii, vulgò Les Enfants - Trouvés, Chirurgo
præcipuo, tueri conabitur JOSEPHUS HUTTIER, Rhemensis,
in almâ Universitate Parisiensi Artium liberalium Magister,
Chirurgiæ Candidatus.*

F I N I S.



133

I 790

